



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 43. Lex Arianis favens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV. *ferret, respondit: nempe, ut si imperet*
A. C. 385. *Ambrosius, me pedibus, manibusque liga-*

tum, inimicis meis tradatis! deinde ad-
dit: Eunuclus Calligonus, Cubiculario-
rum Præfectus, ad me misit, qui diceret:
Valentinianum spernere audes, me vivo?
quieti caput non dabo, antequam tibi cer-
vices fregerim. Respondi: faxit Deus!
ut quod minaris, etiam effectum præstes!
ego quidem, ut Episcopus sancta morte de-
fungar; tu vero facies, quod infamem Eu-
nuchum decet. Haud multo post hæc Cal-

Aug. VI.
cont. Jul.
6. 14. n. 41.

ligonus, nefandi criminis reus, & convi-
ctus, capite plexus est.

§. XLIII.

Lex Arianis favens.

Ruff. II. c. **J**ustina Imperatrix ob populi motus in
 16. *Soz.* S. Ambrosium exacerbator, filio suo
 VII. c. 13. Valentiniano persuasit, ut legem conde-

ret, vi cujus Arianis, auctoritate publica
 muniti, conventus agere possent. Be-
 nevolus, Libellis Præfectus, id est, illo-
 rum primus, qui a secretis erant, hanc
 legem concipere recusavit, quia erat ab
 unguiculis Religioni Catholicæ addictis-
 simus, quamvis necdum baptizatus. No-
 vam ei, & majorem Dignitatem promi-
 sere, si obediret; sed magno animo re-
 spondit: *hanc potius, quam possideo, digni-*
tatem auferte, & fidei integritatem re-
linquite! simul ante Imperatricis pedes
 cingu-

Gaudent.
Præf.

cingulum, suæ Dignitatis signum, projecit. Igitur Imperatoris gratia excidit, & Dignitate; tum Brixiam, Patriam suam, rediit, ubi Sanam Doctrinam S. Philastrii opere didicerat. Benevolus exinde, accepto Baptismo, inter splendidissima hujus Ecclesiæ ornamenta effulsit, S. Gaudentii, qui S. Philastrio successit, amicorum intimus. Nihilominus Lex pro Arianis scripta, & in publicum edita Mediolani, decimo Calendas Febr. Honorio, & Evodio Consulibus, id est, 23. Jan. anno 386. Honorius erat Theodosii filius secundo genitus, natus nona Sept. 384. & paulo post, quam natus esset, Consul designatus cum titulo nobilissimi infantis. Evodius ex primis Maximi purpuratis, ab eo Prætorio Præfectus anno 385. fuerat. Illo tempore mos obtinuerat, ut Consul unus pro Oriente, & alter pro Occidente crearetur.

Lex Valentiniani, Arianis favens, hujus erat tenoris: *Licentiam facimus conventus celebrandi iis, cujus opiniones conformes sunt expositioni fidei, sub Constantio felicitis memoriæ in Concilio Ariminensi receptæ ab Episcopis, ex toto Romano Imperio congregatis, & ab iis ipsis, qui hodie huic fidei resistunt, atque in Concilio Constantinopolitano confirmatæ. Liberum etiam erit in Ecclesiam convenire illis, quibus indulsumus (nempe Catholicis) sciant*

Sæculum IV.
A. C. 386.

*Lib. ult. C.
Theod. de
fid. Cath.*

*Idac. fast.
Chr. Pasch.
an. 384.
Socr. V.
c. 10.*

Sæculum IV. *sciunt autem, si quid turbarum contra*
A. C. 386. *hoc nostrum mandatum cieant, se morte*
puniendos, tanquam Seditiois Auctores,
Ecclesiasticæ pacis perturbatores, & Læsæ
Majestatis reos. Illi quoque supplicio ad-
dicentur, qui obreptitie, vel occulte huic
nostro mandato adversabuntur. Occul-
tus hujus legis Auctor erat Auxentius,
quem Ariani pro Episcopo Mediolanensi
habebant. Is, ex Scythia advena, vero
nomine Mercurinus dicebatur, sed notis
criminibus infamis, Auxentii nomen as-
sumpsit, ob primi Auxentii, S. Ambrosii
Prædecessoris, memoriam Arianis gratis-
simum.

Ambr. serm.
de Basilic.
 n. 22.

§. XLIV.

S. Ambrosii admonitio.

Id. ep. 21. ad
Valent. n. 1.
 n. 13.
Haud multo post hujus legis publica-
 tionem, Dalmatius, Tribunus, &
 Notarius, Imperatoris jussu ad S. Ambro-
 sium venit, & indicavit, ut Judices eli-
 gat, sicut Auxentius fecisset, & causa eo-
 rum in Imperatoris curia judicaretur,
 subjungens, nisi comparere vellet, quo-
 cunque vellet discederet! id est, Sedem
 Ecclesiæ Mediolanensis Auxentio relin-
 queret. S. Ambrosius Episcoporum, qui
 Mediolani agebant, consilium exquisivit;
 hi suaserunt, ne ad Palatium iret, aut in
 hoc judicio sui copiam faceret, timen-
 dum esse, ne inter judices, ab Auxentio
 selectos,